Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35415
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

qui tamen tibi gravabunt gaudium
quod mille anni reputantur quasi
unus dies / gravabit et sanitatem
eternam / hic est sanitas sed
non habet eternitatem / hic est pax
sed non habet veritatem quia omnia ibi in-
venies / si hic tibi sapiunt spiritua-
lia econtra insipiditas celestium
signum est dampnacionis / Sextum est
miseria et pietas / Crisostomus: pietas
ad omnia valet / Iustum est enim
qui miseriam impugnat / miseria nulla-
tenus adiuvetur / Septimum est bonorum
hominum dileccio et favor bonorum
qui diligit bonos / signum est
quod cum bonis semper manebit
econtra si bonos odit et perse-
quitur signum est eterne dampnacionis

de S Gregorio

Beatus vir qui inventus est
sine macula etc. Sap.
Notandum quod triplex est macula
que privat hominem celestis regni
et separant eum a deo / Prima sunt
venialia peccata que aliquando privant
hominem celesti regno per decem
vel 20 annos quousque purificetur
per ignem tanquam speculum purissimum
Ad illam purgacionem multum prodest
de igne / Sic quod animam per illam
purgacionem oportet esse clariorem
sole / Hec purgacio fit per venia-
lia peccata / et illa est prima macula
Secunda sunt peccata mortalia / illa
separant animam a deo usque in diem
iudicii post diem iudicii separabitur
corpus cum anima a deo et amicis
eius et ab omnibus sanctis et
ab omni gaudio celesti / Quantus
erit dolor quando homo separabitur
ab isto consorcio / Mathei: Exibunt
angeli et separabunt etc. / Tercia ma-
cula sunt originalia peccata que
animas separant a deo / Sic causa
quod pueri peccare non possunt sed
propter parentum peccata dampnantur / Istas
maculas beatus gregorius non habuit
ideo merito dicitur beatus / In verbis
istis duo notantur / primo sapiencia eius
notatur in hoc quod sapienter providit
sibi futurum / Secundo vitam suam
prudenter in hoc mundo / Legitur
de ipso quod fuit nobilis genere
de quo elegebantur imperatores
et quamvis nobilis et dives esset
tamen humiliavit se in mundo
ut exaltaretur in celo / quod non
faciunt principes et nobiles mo-
derni / Beatus gregorius bene
scivit quod castitas periclitaretur
in deliciis et sanitas in diviciis
et ideo sapienter dispensavit de
bonis suis et non distribuit
hystrionibus et ribaldis / sed
pauperibus et egenis / Unde
legitur de ipso quod post obitum
parentum suorum pecuniam quam sibi
reliquerant construxit septem
monasteria in quibus collocavit
sanctos et bonos viros et ibi cum
eis in religione mansit / Et